


**Mæcenatibus hospitibusqve maximis
... rector academia Aboensis,
Claudius Ek...**

Ekeblad, Clas,

17 Taad Fol.



National Library
of Sweden

MÆCENATIBUS HOSPITIBUSQVE MAXIMIS,
PATRONIS MAGNIS,
PATRIBUS, CIVIBUSQUE ACADEMICIS ET URBICIS,
RECTOR ACADEMIÆ ABOENSIS,
 LAUDIUS  KEBLAD.

COMES de STOLA,

S. P. D.

Rost tot patriæ, tam alte, tamque lethaliter adaucta vulnera, desolatas provincias, ereptas regiones, strages exercituum, maximorum Regum pericula & tristia fata, procerumque vincula, sub quibus animam ægre diu, & elisis quasi faucibus, trahebat Respublica, cœptæ tandem sunt, per almam pacem summi Numinis beneficio sancitam, in cunctis regni angulis, publice pariter & privatim audiri, & excipi lætantium & gratulantium voces, quamvis diminutæ valde, quassæ ac deficientes. Tanto autem magis langvida, dubiaq; emergendi spes magno huic Ducatui relicta est, quanto diutius sedes ipsa immanium hostium, & theatrum atrocissimi tuit belli, quo in his inprimis locis, restim ducente Bellona, divina humanaq; omnia violata jura, prædæ hominum pecorumq; actæ, silvæ excisæ vel exustæ, agri inculti, effœti & horridi, tecta & omnia conflagrata sunt, desolataq; unde incommoda inuenta sunt innumera, avis & proavis in his terris ignota. Non potest tamen non meliores spes alere, & mœstissimos simul & anxios elevare animos nostros, inusitata inauditaque REGIS nostri Augustissimi Clementia, qui, ne quemadmodum mari, ita amore quoque a Regio Solio avulsi videamur, omnes curas & cogitationes suas in salute desigit hujus Provinciæ. Hinc per annos jam paucos, quibus pace frui licuit, ædes sacras, equorum stabula vigente bello, videmus partim exstructas, partim lustratas, pristinaq; sanctitati dicatas, Tribunalia restituta, Bonarum artium literarumq; officinas instructas; atque, quod maximum est, his omnibus præfectos esse viros, pietatis, justitiæ, eruditionis, & prudentiæ laudibus fulgentissimos. Quæ omnia, quia ad felicitatem provinciæ procurandam majora nec optari, nec concipi quidem possunt, jam sæpe nobis, in ruinis & calamitatibus nostris, exultandi materiam subministrarunt. Haud multum supra bimestre temporis spatium est, ex quo divæ Themidis Sacra, quo potuimus solemnè ritu, exstructo, in honorem & usum Divæ, novo Templo, celebravimus. Concessum jam est precibus nostris, quod tunc in votis fuit ardentissimis, Divam hanc in complementum felicitatis suæ, multo cum gaudio excepisse Sacrorum suorum in his locis Summum Antistitem, & Regni Sveciæ Senatorem excellentissimum, Illustrissimam Heroa ac Comitem, Dominum JOHANNEM CREUTZ, cujus venerabilem senectutem, & propiorem ad rostra sua præsentiam, quamprimum ætate, maximis muneribus & valetudine insuper fractæ vires hoc admittant, deosculari, effusaque læticia, expanso sinu, supinisque manibus, more sibi coniveto, amplecti exoptat Palladis Cohors. Ne autem quid desit ad plenum, & omnibus numeris perfectum regionis hujus pessime, & plus quam barbare, habitæ solatium & emolumentum, ecce novum Clementissimi REGIS nostri beneficium & munus: cum enim pro imensa sua sapientia facile præviderat Sia R:ia Majis summos quamvis & perspicacissimos viros, quos ordine rebus magni hujus Ducatus dijudicandis & componendis præferat, tot negotiis, ubi confusa perturbataque omnia sunt, haud sufficere; exemplo Romanorum, altarumque bene constitutarum Civitatum, quibus mos fuit, in provincias mittere, qui jura vel mutarent, vel violata conculcataq; restituerent, vel quovis modo regionis fidei suæ commissæ utilitati consulere, TRAJANUS noster dedit miserq; PLINIUM suum Illustrissimum & Generosissimum Baronem, Supremi Regii Dicasterii Gothici Præsidentem incomparabilem, Dominum GERMUNDUM CEDERHIELM. Cujus absentiam, quamvis & Rex ipse, & maxima quibus distringebatur negotia, ægerrime terre viderentur, illum tamen, ut sibi fidissimum, ita tanto muneri obeundo aptissimum, in PATRONUM & salutem hujus terræ eligere placuit. Hic est, qui, una cum Generosissimis Amplissimisq;, Admodum Plurimumq; Reverendis, & Prudentissimis novi Regii hujus Centorii Judicii Assessoribus, atroci hoc & difficili tempore, quo non modo succum & sanguinem, sed & colorem & speciem omnem pristinae felicitatis, tanquam si offusa sempiterna nox esset, amisimus, collapsum Fennoniæ statum, fausto, utinam, & felici auspicio, in veterem dignitatem prudentissima gravitate vindicabit. Profecto in hac rerum, quibus pæne opprimimur, miserabili facie, conversione & perturbatione ultima, quibusque, ut deteriori in statu simus, unus tantummodo inferior gradus est, interitus aut servitutis, non vulgaris requiritur prudentia, sed excellens ingenium, & divina prorsus animi dotes: nec nisi Atlanticis, vel CEDERHIELMIANIS firmissimis humeris, tantum onus levare & sustineri potest. Quamobrem fufis jam ante oëtidium in lacris ædibus, pro tantæ rei felici successu, calidissimis suspiriis, tanto magis e re sua esse judicavit societas nostra literaria, gravissimi hujus negotii auspicia publico sermone prosequi, quanto majores ex communi malo sentit dolores, altioresque, ex tot insidiis exceptisque plagis, adhuc dum retinet cicatrices. Ut autem tanto concinnius vota omnium in medium proferantur, elegimus, ex Patrum Conscriptorum ordine, Dominum Magistrum LAURENTIUM ALSTRIN, natura, arte, exercitatione & simul etiam professione eloquentissimum Virum, latine loquendi scribendiq; apud nos Doctorem celeberrimum, qui crastina luce hora diei X:ma, communem aget causam, DEO, REGI, ORDINIBUS REGNI, Illustrissimo PRÆSIDI, Totique ordinandarum rerum COLLEGIO gratias, quas nos ingentes habemus, immortales exsolvet, faustaque cuncta & felicia, pro ea, qua pollet, dicendi facultate, adprecabitur. Quocirca, quod nostri muneris est, Heroas maximos, qui justitiæ exercendæ, & provinciæ in pristinum statum erigendæ, gloriam sustinent, omnesq; gloriosi laboris Confortes, Regionis, Ecclesiæ & Academiæ Præsules, Patres Civesque Academicos, & quotquot in Urbe fuerint, cujuscunq; dignitatis & muneris honore conspicuos, qua decet, submissione, & observantia, officioq;, rogamus atq; obtestamur, velint, maxima & honorifica sua frequentia, æquum hunc Oratorum exornare. D. Aboæ v. Calend. Jul. Anni MDCCXXV.

